PROGRAMMA,

QVO

NOMINE TOTIVS COLLEGII JVRIDICI,

AD DISPVTATIONEM INAVGVRALEM,

PRÆNOBILISSIMI ATQVE DOCTISSIMI

DOMINI

JOHANNIS JOACHIMI Beselinen,

ROSTOCHIENSIS,

JVRIS VTRIVSQVE CANDIDATI DIGNISSIMI,

DE

DVOBVS VEL TRIBVS VIRIS, IN HYPOTHECIS, INTIMATIONIBVS ET APPELLATIONIBVS ADHIBENDIS,

ANNO MDCCXLII. DIE XVII JVLII,

HABENDAM,

POST MOTAM QVÆSTIONEM:

NVM HISTORIA LITTERARIA ET LIBRORVM NOTITIA NON ADEO INDIGEANT, QVI SCIENTIAS DEMONSTRATIVE TRACTANT?

ET POST RECENSVM

SEMICENTVRIÆ QVINTÆ,

DISPVTATIONVM INAVGVRALIVM JVRIDICARVM ROSTOCHIENSIVM,

MAGNIFICVM DN. RECTOREM, VTRIVSQVE MAGISTRATVS PROCERES, OMNIVM FACVLTATVM DOCTORES, REV. MINISTERIVM, LIBERALIVM ARTIVM MAGISTROS, ET STVDIOSOS FLORENTISSIMOS,

OBSERVANTER ET HVMANITER INVITAT

D. ERN. JO. FRID. Mantzel,

IVRIS PROF. ORD. ET AD H. A. FACVLTATIS IVRID. DECANVS.

ROSTOCHII, STANNO ADELERIANO.

I. N. D.

Hiſtoria, quam dicunt litterariam, pariter ac quævis alia, ſive politica, ſive eccleſiaſtica, eſt teſtis temporum; Tradit eadem originem, progreſſum, florem, decrementa & modernum ſcientiarum ſtatum: Enumerat ſcholas, Academias & ſocietates: Recenſet viros arte celebres & libros, in quavis eruditionis parte, ſucceſſive prodeuntes. Monſtrat veritatis cultores & impugnatores, varias Sectas, quales non ſolum Theologia, ſed & Jurisprudentia, Medicina & aliæ diſciplinæ expertæ fuerunt: Refertur, quando cœperint, quinam faces & tubæ earundem, ſive hæreſiarchæ ſint, quæve fata, vel ad dominium, vel ad interitum usque habuerint. Quanta ex eadem hauriatur utilitas, quanta voluptas, quis eſt qui neſciret, vel ambigeret. Fuerunt ab omni ævo, qui in hanc Hiſtoriam laborarunt, ſed non fervebat opus ante ſeculum XVII, pergebatur in exordio moderni, quod vivimus, pergitur & adhuc, ceu teſtantur tot Bibliothecæ, Vitarum collectiones, ephemerides & alia. Merita Morhoſiana, Menckeniana, Struviana, Lipenio-Jenichiana, Stolliana & aliorum ſunt grata mente veneranda. Tractabatur ad gratas & interdum lepidas micrologias usque & ſub rubris curioſioribus, vel ad nomina patronymica & alia, vel ad fata ſingularia, ad mores, ſtaturam, patriam &c. reſpicientibus, prodibant opuſcula lectu jucundiſſima. Qui ſolos labores, feminis eruditis conſecratos, in cenſum redigeret, ſpecialem quandam bibliothecülam inde formare poſſet. Quandoquidem autem ſua fata habent ſtudia & per periodos alia poſt alia invaleſcere ſolent, abrumpebatur quaſi filum ante aliquot annorum decades. Manſit tamen in ſolidis & qui pretium ſtatuere didicerunt, habuere

in hunc diem, unde, & qua præterita & qua novissima tempora, haurire & accipere potuerunt scitu necessaria, utilia & voluptaria. Verum, scribo invitatorium folium, quod non patitur digressiones, maxime cum primarium thema, mei nimirum Domini Candidati vita paginas sibi, exclusis omnibus aliis, posset vindicare. Proponam igitur, non resolvam quæstionem: *Num Historia litteraria & librorum notitia non adeo indigeant, qui scientias demonstrative tractant?* Sunt qui affirmant, variorum legendorum cura supersedere posse demonstrantem, autumantes: Sunt, qui negant. In disciplinis merè instrumentalium & universalium bibliotheca amplissima haud erit opus; Sed in moralibus, physicis, & mathematicis carere nemo poterit cognitione originum, progressuum, decrementorum & moderni status scientiarum? Quis controversias, quas quilibet pro suo ingenio, sine tamen superba affectatione infallibilitatis, demonstrando, ut loquimur, definire satagit, tractans, immemor aliorum virorum, doctissimorum nomina jam dudum ante promeritorum eorundemque opinionum, esse poterit? Et si errorum illos, etiam cum confidentia & applausu, arguere quis valeret, tamen argumenta eorundem scivisse & allegasse debebat, id quod sine notitia virorum & librorum fieri satis terse non poterat. Quis tandem in summis facultatibus, sive theologica, sive juridica, sive medica, historia litteraria vacuus esse poterit? Theologia amat Historicos ecclesiasticos, Exegetas & Philologos, Polemicos & alios: Ad Jurisprudentiam publicam & privatam, non est ut multis notitia litteraria commendetur, quoniam luscus & legulejus foret, qui, etsi plane theoreticus, eandem prætervideret: Quanta circumspectione litteraria opus sit practico, sciunt omnes, qui ultra judicia inferiora sapiunt. Qua medicinam, quæ tot novis inventis aucta & ubique experientiæ superstructa, ne mediocrem quidem appellarem artificem, qui ignoraret & non scrutaretur virorum celebrium merita & labores. Si alicui omnia ex suo ingenio deproperare & juramentum aliis in sua verba, pro autoritate, extorquere liceret, non nisi calamo & charta indigeret idem Dictator; Sed Plato & Aristoteles, & quis fuit alter, ita erunt legendi, ut videamus, non solum quis, sed qua ratione dixerit

rit

rit. Conferenda igitur erunt plurium virorum tradita, id quod requirit notitiam litterariam. Quod temperamento autem, præsertim hoc seculo, orbem eruditum libellis fere obruente, opus sit, non est, ut moneam. Rectius igitur sentiunt, qui, demonstrative scientias tractantes, historiam litterariam amant & bibliothecis favent.

Qui historiæ autem litterariæ favet, limites etiam quosdam geographicos, (de ICto maxime differo) sibi constituat; Specialissimarum enim provinciarum, Academiarum & virorum doctorum eorumque fœtuum curiosior enarratio non adeo tangit extraneos. Est in quibusdam specialibus patriis aliquid, quod pretium affectionis insigne, vulgare fere nullum, habere solet. Exempla sunt ante pedes. Præbebo etiam in instanti aliquod. Bibliotheca juridica, qualis nunc cura Excell. Dn. Doct. JENICHEN, Fautoris & Amici mei selectissimi, æstumatissimi, ad summum nitorem usque exhibita, omnium Jure-Consultorum gratiam meretur: Disputationes juridicas hujus vel alius Academiæ speciatim collegisse, magis placet iis, qui eandem appellant patriam. Disputationes inaugurales juridicas selegisse, facit ad specialiorem Academiæ & Facultatis Juridicæ historiam, & tribus, si non prodest, tamen delectat.

Qua hanc Academiam Rostochiensem lubuit antidhac recensere duas centurias disputationum inauguralium juridicarum: Accedit jam centuriæ tertiæ dimidia, juxta seriem temporis. Placeat, displiceat, mihi perinde est. Disputarunt autem pro gradu in hac Alma:

Præside B. Ad. THRACIGERO.

Anno 1546. *Joach.* Richius, *Rostoch.* ad l. 1. ff. de Just. & Jure
- - - *Joach.* Bouke, *Hamburg.* ad l. si creditores ff. & C. de Pactis.

Præside B. Walthero ELISRACO.

Anno 1548. *Thomas* Faber, *Havelberg.* ad l. 2. ff. si cert. petatur.

Præside B. Gvil. NOVESIANO.

Anno 1557. *Herm.* Huyschen, *Othmersens.* ad l. posthumo ff. & C. de bonor. possess.

)(2 - - - Joh.

- - - *Joh.* Steinkamp, *Lubec.* ad l. si non convicii, C. de injur.

Præside B. Petr. WASMUND.

Anno 1630. *Bernh.* Ludeking, *Westph.* ad quæstiones miscellas illustres.

- - - *Henr.* Sibrand, *Rostoch.* de Reconventione.

Præside B. Nic. SCHüTZEN.

Anno 1633. *Balth.* Gloxin, *Femar. Holf.* de renunciationibus Successionum.

Anno 1639. *Dan.* Tetsch, *Regiom.* de Obligationibus.

Præside B. Henr. RAHNE.

Anno 1644. *Ludolph.* de Bähr, *Tund. Holf.* de Cautionibus.

- - 1655. *Hieron.* Koch, de Libellis.

- - - *Jo.* Schultze, *Gustrov.* de Tutelis.

Præside B. Joach. SCHNOBEL.

Anno 1645. *Gerh.* Gransin, *Lubec.* de Cessione actionum & jurium.

- - 1647. *Jo.* Müller, *Flensb.* de Usuris ex mora.

Præside B. Herm. LEMBKEN.

Anno 1660. *Matth.* Schrœder, *Rostoch.* de Probatione.

- - 1662. *Jo. Bernh.* Zinzerling, *Sternb.* de Impensis dotis, funeris & litis.

Præside B. Georg. RADOVIO.

Anno 1673. *Conr.* Rahne, *Rostoch.* de actione redhibitoria.

Præside B. Henr. Rud. REDEKER.

Anno 1676. *Car. Frid.* Færber, *Gustrov.* de Jure cesso.

Præside Dn. Jo. Christ. PETERSEN.

Anno 1721. *Ern. Jo. Frid.* Mantzel, *Meckl.* de potioribus ætatum privilegiis.

- - 1726. *Henr. Jo. Petr.* Weidener, Rostoch. de pravitate Usuraria.

- - 1727. *Jo Petr.* Mœller, *Rostoch.* de omissione nociva.

- - 1730. *M. Andr.* Vogel, *Rostoch.* super theses.

Præside Dn. Matth. Ben. HERING.

Anno 1736. *Matth. Alb.* Block, *Hamburg.* de casu fortuito, a depositario præstando.

- - 1738.

- - 1738. *Hier. Hartw.* Möller, *Hamburg.* de munere tutelari, haud gratuito.

- - 1741. *Georg. Christoph.* Schotter, *Rostoch.* de retentione in deposito licita.

- - 1741. *Herm.* Becker, *Rostoch.* de prodigo felici in materia de fructuum restitutione.

Præside Dn. Jo. Petr. SCHMIDT.

Anno 1741. *Theod. August* Holsten, *Meckl.* de præstatione ratæ, speciatim fidejussorum, in Megapoli; ad art. 26. Revers. de 1621.

- - *Car. Gust.* Hercules, *Sundens.* de vindicatione rerum pupillarium, omni casu ad quinquennium restricta.

En XXIIX. quibus liceat adnumerare pro gradu disputantes, qui sunt sequentes cum suis thematibus,

Me PRÆSIDE.

Anno 1732. *Petrus* Stollte, *Rostoch.* de restringenda praxi exorbitante.

- - 1732. *Carol. Henr.* Mœller, *Rostoch.* de mandato præsumto.

- - - - *Theod. Ern.* Stever, *Rostoch.* de rationibus decidendi a benedictione sacerdotali petitis.

- - 1734. *Jo. Petr.* Schmidt, *Rostoch.* de Jure imperatoris Rom. Germ. circa conferendos honores.

- - 1735. *Dan. Christoph.* Ciese, *Rostoch.* de Excubiis.

- - - - *Ern. Henr.* Ciese, *Rostoch.* de actoris communis officio in concursu creditorum.

- - - - *Gustav. Frid.* Schwabe, *Rostoch.* de eo quod refert, feudum esse vere antiquum, vel novum, jure antiqui concessum.

- - - - *Ern. Balth.* Frese, *Rostoch.* de nexu heredum ex fidejussione defuncti.

- - 1737. *Joach. Lucas* Stein, *Rostoch.* de quæstione: An & quatenus Juri Romano competat prærogativa, præ veteri jure Germanico in decidendis controversiis judicialibus.

- - 1737. *Car. Dan. Christ.* Krüger, *Gustrov.* de respectu personarum in foro criminali. 1738.

- - 1738. *Joh. Hinr.* Alard, *Parchim.* de limitibus contractus antichretici.
- - - - *Jo. Jac.* Bartold, *Rostoch.* de appellatione, quæ fit stante pede.
- - - - *Christ. Matth.* Schaumkell *Sverin.* de femina Mecklenburgica.
- - - - *Christ. Diet.* Wolfradt, *Rostoch.* de sagacitate judicis in criminalibus.
- - - - *Jo. Frid.* Berg, *Meckl.* de diversitate præscriptionis Juris Civilis & Juris Gentium.
- - - - *Joh. Abraham* Duve, *Sverin.* de singularibus concursus creditorum in Megapoli.
- - - - *Joach. Christ.* Keding, *Gustrov.* de limitibus justitiæ, æquitatis, juris aggratiandi & arbitrii judicis.
- - - - *David Jonathan* Scharf, *Sverin.* de eo, quod præcipue juris est circa homines proprios in Megapoli.
- - 1740. *Joh. Fried.* Grœning, *Wismar.* de Jure prælationis piorum corporum in Jure Mecklenburgico.
- - *Bernh. Frid.* Neukrantz, *Mecklenb.* de Jure prælationis pecuniæ sine usuris creditæ juxta Jus Lub.
- - - - *Joh. Nic.* Vogel, *Gustrov.* de successione descententium ab intestato inæquali, speciatim ex consuetudine Gustroviensi, qua ultimogenitos.
- - 1741. *Burch. Jo.* Schultz, *Meckl.* de decisionibus quæ fiunt pro autoritate.
- - - - *Aug. Christ.* Tonnagel, *Meckl.* de femina Mercatrice.

Sed primarium hujus propemptici thema est Prænobilissimus atque litteratissimus Dominus *Johannes Joachimus* BESELIN, Rostochiensis, Jurium Candidatus dignissimus pariter ac florentissimus. Descendit ille ex splendida & per secula heic & alibi in Aulis, Urbibus & Ecclesiis celebri atque inclyta Beseliniorum prosapia; Recenseamus nonnullos ascendentium de Republica hac meritissimorum. Pater est, quem veneratur tota Civitas, Vir Prænobilissimus atque Excellentissimus Dn. *Valent. Joan.*

Valentinus Johannes BESELIN, Juris Utr. Doctor, Consul & Syndicus primus Reipubl. Patriæ Rostoch. meritissimus atque dexterrimus, Vir a Lectionibus & Disputationibus Academicis etiam inter nos celeberrimus, cui, Fautori, Amico ac Affini meo tamdiu bene sit precor, donec aliquando Rector Academiæ, qui hodie adhuc ad nascendos refertur, vitæ curriculum, quod usque ad disp. inaug. anno 1716. B. JCtus STEINIUS recensuit, funebri programmate exhibeat. Mater erat quondam sui sexus ornamentum, B. Anna Hedwig Hornen, cui præmaturè defunctæ ego ut Rector Acad. Anno 1730. programmate publico parentavi. Legat, qui familiis splendidissimis favet, programmata nonnulla, nempe dictum illud Steinianum ad disp. nostri Dn. Consulis: Venerandi & jam beati Dn. Prof. BURGMANNI Progr. Rect. in obitum B. Avi mei Domini Candidati, Viri Excellentissimi, Dn. *Jo. Joach.* BESELINEN, J. V. Lic. Reip. Rostoch. Consulis incluti; Etiam illud, quod ego beatæ matri scripsi, & habebit tabulam genealogicam elegantissimam. Aviam observabit B. *Wendulam* Kleinschmidts, cui parentavit anno 1726. Rector Academiæ Ill. nunc S. R. Tribunalis Wismariensis Assessor, SIBRANDUS: videbit proavos, abavos, atavos & majores eorumque conthorales ex famigeratissimis & de Curia & bono publico meritissimis familiis. Liceat nominasse proavum B. *Valentinum* BESELINEN, Senatorem meritissimum ejusque conjugem virtuosissimam, *Catharinam* WEDOWEN. Sed provoco ad notorietatem & tot scripta publica: altius enim ascendere & celebres præsertim Beselinios ex quorum ordine novem successive ornarunt curiam nostram, enumerare, non vacat: Inspiciantur antiquissimæ ubique imagines, legantur programmata ante secula etiam publicata, ubique Beseliniorum insignia, nomina & Beselinianæ rosæ pictæ, sculptæ, typis expressæ oculis offeruntur. Meum Dn. Candidatum, a moribus & literarum studio laudaturus, ad notoriissima refero, quod a teneris unguiculis bonam indolem auxerit institutio selectissimorum Præceptorum. Laudat inter illos Excell. & Maxime Reverendum Virum, Dn. Mag. Kämpffern, Metaphys. hodie

)( )(Prof.

Prof. Ord. celeberrimum, Fautorem atque Collegam nostrum honoratissimum & ante illum Cl. Dn. Mag. Kleinen, Pomeranum; Pastorem postea Castrensem dignissimum. Bene sic præparatus inter Studiosos recipiebatur Anno MDCCXXX. d. 20. Aprilis, Rectore Magnifico Venerabili Theologo WEIDNERO, Viro mmortalium meritorum & jam inter cœlites triumphante. Jungebat cum studio juridico philosophica & universalia, sive ad linguarum culturam, sive ad primariarum scientiarum fundamenta & instrumenta eadem retuleris: Præceptores erant Viri summi, Magnificus Dn. ÆPINVS, Acad. hodie Rector venerabilis, & summe Reverendus Dn. BURGMANNVS, Theologiæ Professores incluti, Fautores nostri optimi. Pergebat in ulterioribus etiam in scholis laudatis Kæmpfferianis, pariter in Mathematicis lectionibus eruditissimis, *Maxime Rev. Dn. M.* BECKERI, *Archidiaconi nunc Mariani fidelissimi*, ut & *Celeb. Dn. Mag.* WEISSEN, Fautorum & Amicorum nostrorum svavissimorum. Jure Consultus autem quo evaderet, Patris, Avi & majorum vestigia triturus, Lectionibus juridicis sedulus attentusve interfuit. Pertractavit mecum omnes Jurisprudentiæ partes, non semel, sed quasdam bis imo ter: Audivit & alios nostros Antecessores, speciatim *Excell. Domini* Schmidten, *Codicis Professoris incluti*, *Fautoris atque Collegæ mei conjunctissimi*, Collegia Juris Civilis & Historica cum insigni fructu freqventavit. Audivit etiam *Consultiss. Dn. D. Bergen*, *Fautorem & Amicum meum æstumatissimum*, Jus Naturæ egregie tradentem. Post exantlatum cursum, ad Praxin usque inclusive, visa Philurea, Halam, emporium illud scientiarum celeberrimum, adiit, inscriptusque Anno MDCCXXXIX. manu Perillustris Domini Cancellarii de LUDEWIG, qui eundem gratiose excipiebat & patrui B. Lucæ BESELINEN, Mathematici cultissimi, Halæ olim docentis, memoriam renovabat. Testis etiam ille est, quanta aviditate Jus Publicum & Feudale imbiberit: Testes sedulitatis sunt Viri magni et excellentis nominis, alter ille communis Germaniæ Præceptor BOEHMERUS, Utrumque Jus & GASSERUS practica dexterrime docens. Testis etiam erat cum viveret, B.

HEI-

HEINECCIUS, vir in orbe litteraro desideratissimus. Nulla pars eruditionis Juridicæ est, quam nominati Quatuorviri non docerent, & Meus Beselinius non disceret. Absoluta periodo haud mediocri, Hala recedebat, perlustrabat inclytam Jenam, Professoribusque ibidem se commendabat: Pergebat Gotham, ubi rariora & festivitatem natalitiam Serenissimi Regnantis observabat: Vidit deinde Vinariam, Erfordiam, Isenacum & alias urbes celebriores. Maxime autem alliciebat eundem Francofurtum ad Mœnum, ob confluxum illustrium, post obitum Imperatoris CAROLI VI. glor. record. ad negotium electionis & coronationis vel perficiendum vel spectandum illuc tendentium. Laudat summam benevolentiam Perillustris Legati Regio-Electoralis Anglo-Hannoverani, Domini *de* HUGO, cujus sub protectione ibidem versabatur aliquot per hebdomades. Quandoquidem autem negotium electionis aliquantulum differebatur, visis illustrioribus, speciatim originali Aureæ Bullæ, & gavisus familiaritate *Gen. Domini de* LICHTENSTEIN, Syndici Francofurtensis excellentissimi, filii solertissimi. Tendebat Moguntiam, visa illa, scopum Wezlariæ commorandi & stylum Dicasteri Dicasteriorum observandi obtinebat, usus benignitate JCti celeberrimi, Dn. Consiliarii MECKELN; satis sic versatus apud exteros revocabatur in patriam, cui inservire dulce est atque decorum. Giessam, Marpurgum & Gottingam, Academias, Cassellas, Hannoveram, pariter ac Cellensem urbem transeundo considerabat. Pergebat Hamburgum, Lubecam, Sverinum & tandem Rostochium, rediens ad amplexus Parentum & Amicorum, congaudentium atque congratulantium, huncque filium Rostochiensem ad quævis felicia votis concomitantium. Quo autem propius se accingeret operi, post breve intervallum, mense nimirum Octobri, Anno elapso, sistebat se Collegio nostro Juridico & post mascule data responsionum specimina, nomen Juris Utriusque Candidati genuinum, jure suo, impetravit. Accessit ad elaborationem dissertationis inauguralis, quam judicio B. L. submit-

submittit. Sed non prima est illa dissertatio, quam proprio marte elaboravit: Præcessit eam enim alia Anno 1739. valedictoria, exhibens *singularia testamentorum Juris Lubecensis, speciatim quæ legitimam collateralium*, vulgo acht Schillinge und vier Pfenninge. Expectat in actu disputatorio Auditores & arbitros O. O honoratissimos, quos ego, more majorum, hoc Programmate invitatos esse volo, observanter & humanissime rogans, velint *Magnificus Dn. Rector*, O. O. O. Viri & Commilitones æstumatissimi, dilectissimi, gratiose & benevole adesse atque actum disputatorium & inauguralem condecorare, id quod nos ad quævis observantiæ & amicitiæ documenta obstringet.

P. P. SUB SIGILLO FACULTATIS, Anno MDCCXLII. d. XV. Julii.